DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DYSENTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS BELL,
SCOTUS.

Nullâ re homines propiùs accedunt ad Deos quàm salutem hominibus dando. CIC.

---

viii. *Kalendarum Julii, horâ locoque solitis.*

EDINBURGI:
EXCUDEBAT GULIELMUS CREECH.

1812.

Last (blank) leaf wanting
See T. 1124.17



THOMÆ ANDERSON,

CHIRURGO,

APUD SELKIRK,

ARTIS MEDENDI HAUD MINUS PERITO,

QUAM VIRTUTIBUS QUÆ HOMINEM ORNANT,

INSIGNI;

QUI PRIMUS SCIENTIA MEDICA SUAM MENTEM

INSTITUIT;

HOCCE OPUSCULUM,

AMORIS ET OBSERVANTIÆ,

MONUMENTUM QUAMVIS FRAGILE,

OFFERT

AUCTOR.

PATRI SUO CARISSIMO,

AMICO PRIMO ATQUE OPTIMO,

GULIELMO BELL,

ARMIGERO,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

CONSECRAT

FILIUS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

AUCTORE GULIELMO BELL.

Inter varios morbos, quibus corpus humanum obnoxium est, Dysenteria summi momenti meritô habetur; atque igitur attentione omnium, qui artem medicam exerceant, est dignissima. Hoc facile apparet, cum recordemur omnes cujusque ætatis, utriusque sexûs, hunc morbum adoriri posse; late longeque sæpe grassari; et haud raro esse lethalem. Ob eas causas, fert animus de Dysenteria pauca dicere. Si, in hocce opusculo, nihil novi adducere possim, tamen hujus

morbi historiam, diagnosin, prognosin, causas et curationem breviter exponere, non absque usu fortasse sit.

Enumerare omnes divisiones omnesque definitiones Dysenteriæ, ab antiquis traditas, nec brevitati congruit, nec mihi in animo est. Ab Hippocrate vox Dysenteria (secundum ejus derivationem) omnibus intestinorum ulceribus, et omnibus fluxibus, vel cum vel sine sanguine, applicatur. Alii, ut Archigenes, hanc vocem usurpant, tantum ubi ulcerationes viscerum hos fluxus comitantur. Denique ante Sydenhamum et Willisium, significatio vocis Dysenteriæ nec distincta nec dilucida erat; aliis ad alios morbos vel ad alias morborum combinationes eam referentibus. A nostro celeberrimo Culleno, in Nosologiæ suæ, classe primâ et ordine quinto, sic accuratè definita est. "Pyrexia contagiosa; de-"jectiones frequentes, mucosæ vel sangui-"nolentæ, retentis plerumque fæcibus alvi-"nis; tormina; tenesmus."

Num hic morbus contagiosus sit, necne, sæpe disputatum fuit; et adhuc sub judice lis est. Eum interdum fuisse contagiosum, probatum est exemplis, ut opinor, non dubiis, argumentisque validissimis. Sed, "non nos-"trum est tantas componere lites." Igitur, hac disputatione relicta eis, qui, ex majore videndi facultate, eam componere possint, ad ea quæ nostro proposito magis idonea sint, nunc progrediamur.

HISTORIA MORBI.

In omnibus terris, et in omnibus fere anni tempestatibus, Dysenteria apparere potest; sed sæpius graviusque sævit regionibus in calidis quam in frigidis aut temperatis. Frequentius quoque occurrit in vere et autumno, rarius in æstate et hyeme. In vere novo, ubi frigora hyemalia zephyris mitescunt, humore ex nivibus liquefactis comitante, sæpenumero

Dysenteria sese ostendit. Similiter in autumno, ubi noctis pruinæ diei ardoribus succedunt, hic morbus, in formâ epidemicâ, haud raro oboritur; et multos menses sævit. Sæpissime autem apparet in castris et navibus, ubi milites navitæque, nimium conferti, äere puro haud fruuntur, atque humori continuò sunt expositi. Hinc a Moseley dictum est, paginam historicam flere non tam multum pro eis in prœlio cæsis, quam pro eis, qui hoc morbo periêrunt. Forma a Dysenteriâ assumpta, ex morbis eodem tempore maxime prævalentibus, multum pendet. Hinc vere, cum diathesi phlogistica, cum Pneumoniâ aliisque morbis inflammatis, plerumque conjuncta invenitur; in autumno autem febribus typi Typhodis sæpius conjungitur.

Dysenteria, a languore, lassitudine, virium imminutione, dolore capitis, nauseâ, siti, rigoribus, pulsus celeritate, aliisque symptomatibus febrilibus, initium capit. Adsunt

quoque constipatio, dolores in abdomine abnormes ac cito crescentes, tenesmus et dejiciendi desiderium inane. Hæc sunt Dysenteriæ ineuntis signa. Interdum tamen formam Diarrhœæ simplicis sine febre induit; sed omnibus fere aliis in morbis easdem symptomatum variationes observare potest.

Vomitus ineunte morbo sæpenumero accedit; et materia hâc viâ rejecta, bile commixta, flavo colore est, amaro acridoque sapore. Hâc in materiâ, vermes quoque nonnunquam adesse inveniuntur. Interea, sine ulla torminum sublevatione, æger cupiditate adsellandi perpetuâ urgetur, fæcibus tamen vel prorsus retentis, vel parce dejectis. Quæ excernuntur, mucosa et sanguinolenta sunt, atque odore valde ingrato. A Pringleio, hic odor fætidus inopiæ in intestinis acidi attributus est. Quæ in provectiore morbi gradu dejiciuntur, instar fœtentis carnis loturæ sunt; et tunc morbus maxime contagiosus

habetur. Si pars recti extrema multum læsa fuerit, ejiciuntur sanguis pusque, modò separatim, modò commixta. Ubi fæces alvinæ dejiciuntur, dejiciuntur persæpe ut scybala dura atque rotunda. Interdum etiam has dejectiones comitantur vermes; aliàs, materia alba et adiposa; aliàs, in forma tuborum substantiæ membranaceæ. Hæ substantiæ a Tulpio, Chesseau, aliisque visæ sunt; et a multis tunicæ intestinorum abrasæ putantur.

Has substantias esse reverà intestinorum tunicas, mihi vix credibile est; nam si textura canalis intestini tantum læsa esset, gangræna, ut opinor, morsque inducantur. Annon igitur probabile sit, substantias sic exutas, lymphæ coagulatæ esse depositiones; quæ structuram vascularem assumpsêrunt, ut in aliis superficiebus inflammatis nonnunquam accidit?

In hoc morbo, tormina et tenesmus crucia-

tum vix tolerandum præbent; et hic cruciatus ab omni dejiciendi nisû augetur. Sublevatio ex stercoris parcâ expulsione sæpe nimis brevis est; symptomata plerumque cito redeunt; et nisi remedia idonea celeriter adhibita fuerint, gangræna et mors superveniunt.

Flatus ex materiâ in ventriculo intestinisque crudâ oriens, stomachi dolorem atque tympanitin sæpissime producit. Ex äere etiam cum muco intestinorum commixto oriuntur illæ spumosæ excretiones, quæ in hoc morbo tam sæpe sese monstrant. Adsunt plerumque cibi aversatio sitisque intoleranda. Post aquæ haustum, crescunt tormina cupiditasque desidendi; et aqua sic hausta, ab ore usque ad anum, sine ullâ morâ, ægro descendere videtur. Lingua, initio morbi, alba est et sordida, postea sicca, atra, apthis sordibusque fœtidis operta. Arteriarum pulsus primitûs frequens vel durus, cito fit exiguus, debilis, et intermittens. Vultus etiam a

morbi principio, hebes, pallidus, anxietatem vehementem indicans; atque haud raro exhibet faciem Hippocraticam. Cutis sicca et tactû callida est, nisi, ut ante mortem sæpenumero fit, oboriantur frigidi sudores.

Urina, ex inflammatione et spasmodicâ vesicæ contractione, nunc parcè et difficilè redditur, atque sic reddita facie est turbidâ et rubicundâ, sedimentum lateritium deponens; aliàs vero prorsus suppressa est.

Prolapsus ani, debilitatem partium indicans, nonnunquam evenit. Accidunt quoque, præcipue ante mortem, emissiones urinæ fæcumve involuntariæ, subsultus tendinum, stupor atque delirium. Si febris vehementer sæviat, die secundo vel tertio, interdum etiam paucas intra horas, gangrænâ haud obscure superveniente, evenit exitus infelix. Symptomata febrilia, præter diem decimum, rarissimè durant. Durant tamen sæpe dolor in

visceribus abdominalibus iniquus, tormina, tenesmus, purgatio continua, &c. Hic morbi status Dysenteria Chronica vulgò dictus est. In hoc statu, æger fit magìs atque magìs infirmus; et post aliquot menses, ex mera debilitate tandem supremum diem obit.

DIAGNOSIS.

Quoniam hic morbus persæpe ad eventum infelicem celeriter festinat, et, ubi vires adeptus fuerit, semper tractatu difficilis, haud parvi momenti est, Medicum, Dysenteriam ab omnibus aliis morbis, cum quibus nimis sæpe confunditur, dignoscere posse.

Diarrhœa gravis ad formam Dysenteriæ mitiorem aliquando appropinquare invenitur. Tamen illa ab hac dignosci potest, quia nec contagiosa est, nec eam comitantur febris primaria, tormina atque tenesmus. Porrò in

Diarrhœa, alvi dejectiones fætore dysenterico carent, magìs copiosæ fæculentæque sunt; et ægro sublevationem doloris sæpissimè præbent.

Colica a Dysenteriâ distinguitur, utpote stipata cum contractione musculorum abdominis spasmodica, gravibusque circa umbilicum doloribus. Comitantur quoque Colicam alvi constipatio, vomitus materiæ stercoratæ vel fœtidæ; nec hanc ulla febris præcedit.

Tubercula circa anum, sanguinis fluxus ante stercus, nec cum stercore commixtus, Hæmorrhoida a Dysenteriâ facilè distinguunt. Præterea, in Hæmorrhoide absunt tormina atque tenesmus, et intestina constipata a cathartico plerumque laxantur.

Choleræ febris non sese comitem adjungit. Hic morbus porrò dignoscitur a materiæ bilio-

sæ dejectione vomituque, atque a propriis surarum spasmis. Denique febris comitans, tenesmus, dejectiones mucosæ sanguinolentæ sine torminum sublevatione, Dysenteriam, nisi fallor, ab omni alio intestinorum morbo facilè dignoscunt.

PROGNOSIS.

Ex his antea dictis prognosin, in hoc morbo, cautam esse debere, satis apparet. In morbi principio, pyrexia violenta, tenesmus gravis, tormina vehementia, desiderium adsellandi frequens, evacuationibus interea parvis, viribusque valde imminutis, formam esse prægravem, ideoque periculum magnum, planè indicant. Si hisce signis conjuncta fuerint partium extremarum frigus, sudores frigidi, viscidi, et iniqui, pulsus debilis atque irregularis, exitus est plerumque infaustus. Tamen ex ventriculi flatu, pulsus abnormis

vel etiam intermittens fieri potest, eoque per se prognosin minime certam præbet. A Baglivi dictum est, vomitum esse periculosum; singultum icterumque esse signa lethifera; deglutiendi difficultatem mortis prænuntiam. Symptomata quæ maximè exitialia ducuntur, sunt, subita torminum tenesmique cessatio, odor cadaverosus, exinanitio fæcum urinæque involuntaria, vomitus materiæ atræ ac sanguinolentæ, petechiæ vibicesque, respiratio profunda et laboriosa, subsultus tendinum, delirium, pulsus parvus, tremulus, atque intermittens.

Signa fausta hîc enumerare non necesse est. Sunt his jam dictis contraria, ut pyrexia haud gravis, evacuationes facie naturali, et minùs atque minùs frequentes, diaphoresis æqua mitisque, cum torminum et tenesmi imminutione.

CADAVERUM SECTIO.

Hîc, non absque re erit, exponere faciem quam partes post mortem dissectæ, sæpissimè offerunt. Sæpenumero totus canalis intestinus, omniaque viscera abdominalia, cum inflammatione, suppuratione, gangrænâ, vel sphacelo, affecta inveniuntur. Tunica villosa recti colique interdum est abrasa; nunc tenuis et pellucida est; nunc mollis, atra, vel maculis lividis operta. Hæc intestina sæpe contracta et densata, multis ulceribus parvis, tuberculis, et pustulis, quæ variolis haud absimiles sunt, sed texturâ firmiore, obducta sæpe reperiuntur. Intestina minora interdum sed rariùs inflammantur, nunc gangrænâ, aliàs tuberculis purulentis correpta. Hæc, velut alia viscera, quandoque oblinuntur materia mucosa sanguinolenta, et interdum sine ulla ulceratione, vel vasorum sanguinem ve-

hentium rupturâ. Ilium, per omnes ejus convolutiones, multas adhæsiones ostendit, eodem modo, ut aliæ membranæ serosæ, inflammatione affectæ. Interdum cellulæ coli, distensione atque ejus ligamentorum erosione, prorsus obliterantur. Plerumque ventriculus sanus reperitur; tamen vestigia inflammationis, ut maculas lividas vel rubras nonnunquam ostendit. In uno exemplo, cujus Dolæus mentionem facit, ægro cum vomitu convulsionibusque ante mortem correpto, Pylorus corrosus et sphacelo affectus reperiebatur.

Hepar quandoque invenitur inflammatum, vel gangrænâ correptum, multos abscessus parvos exhibens, materie purulentâ vel ichorosâ repletos. Uno in exemplo, a Pringleio reperiebatur maximè amplificatum, usque ad umbilicum et liena sese porrigens, decem librarum pondere; et in parte posteriore apparebat magnus abscessus.

Lien quoque ab eodem auctore trium librarum undecim unciarum inveniebatur. Pancreas, Renes, Vesicula fellis, aliquando sed rariùs morbi vestigia præbent. In iis visceribus, modò varia inflammationis signa sese monstrant; modò flaccida et dilatata apparent. Fel est sæpe viscidum, atque atro colore. Vesica urinaria contracta et imminuta inveniri potest. In exemplis duobus, Cleghorneio sese offerentibus, omentum prope consumptum erat; et in abdomine reperiebatur liquor purulentus. Est ubi omentum inflammatur; quandoque etiam peritoneo vicino aliisque visceribus adhæret.

Sæpenumero Thoracis viscera nulla morbi vestigia præbent. Morbida pulmonum facies, polypi in cordis ventriculis, atque nonnulla alia symptomata, a quibusdam auctoribus commemorata, ex Dysenteriâ solâ non oriuntur, sed, ut mihi videtur, in multis aliis quoque morbis inveniri possunt. Omnia symp-

tomata antea enumerata intestinorum inflammationem clarè ostendunt; et ex his jam dictis facilè intelligi potest, unde ægri dolores morsque oriantur.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Calor ad stimulandum corporis actionem omnino necessarius est; sed vehemens et diu applicatus, principium excitationis consumit, lassitudinem morbidam debilitatemque semper inducit. Calor putrefactionem accelerat; miasmata paludum et effluvia e cadaveribus putridis gignit; atque cum humore comitatus inter causas Dysenteriæ prædisponentes vulgò recensetur. Hinc a Pringleio dicitur, hunc aëris statum tam Dysenteriæ quam febrium remittentium ac intermittentium, causam esse remotam et externam. Hinc quoque dictum est, hunc morbum tum maximè sævire, cum muscæ aliaque insecta per aëra

huc illùc volitare videntur. Igitur, hicce morbus, cæteris paribus, circa æstatis finem, vel in autumno, post calores violentos atque diuturnos, maximè furit. Postremò Doctor D. Monro, Dysenteriam in omnibus fere regionibus, sed præsertim in zonâ torridâ, maximè frequentem et maximè exitialem esse, cœlo nimboso calidoque, terrâ humidâ atque paludosâ, et aëre vaporibus putridis onusto, se reperisse dixit.

Præterea inopia victûs idonei, aëris puri, aquæ recentis; sordes; fatigatio; nimiæ evacuationes; subitæ in aëris statu vicissitudines; ebrietas; nimia in venere indulgentia; pathemata reprimentia; hæc atque alia, quæ corporis vires imminuunt, ad grassationem Dysenteriæ prædisponunt. Hinc pauperes, milites, atque eos quibus est habitus corporis scorbuticus, tam sæpe invadit. Cunctis hisce causis, ut quandoque fit, inter se concurrentibus, Dysenteria forsan induci potest; sed

contagio omnium causarum excitantium est longè potentissima. Hæc causa, non solùm debilitatem, sed quoque peculiarem actionem intestinorum morbidam inducendo, agere videtur. Noster Cullenus, de hac contagione loquens, his verbis utitur: "Whether this "contagion, like many others, be of a permanent nature, and only shews its effects "in certain circumstances which render it "active, or if it be occasionally produced, "I cannot determine. Neither, if the latter "supposition be received, can I say by what "means it may be generated. As little do "we know any thing of its nature, considered in itself; or at most this only, that, "in common with many other contagions, "it appears to be commonly of a putrid nature, and capable of inducing a putrescent "tendency in the human body."

Putredo sanguinis vel bilis inter Dysenteriæ causas vulgò recensetur; sed, hæc putre-

do, me judice, effectus potius quam morbi causa esse videtur.

CAUSA PROXIMA.

De hac, Medici inter se multùm differunt; nec ulla opinio est, quæ adhuc omne tulit punctum. Diu creditum est, quandam materiam acrem, vel in intestinis generatam, vel extrinsecus receptam, Dysenteriæ causam esse proximam. Hæc opinio admitti non potest; nam omnia acrida intestinis applicata, et dejectiones crebras producentia, dejectiones quoque copiosas semper producunt. Tamen in Dysenteriâ hoc rarissimè accidit. Hinc ad constrictionem coli præternaturalem a Culleno ipso refertur. Huic opinioni objicitur, constrictionem intestinorum Colicam sæpe producere, cujus symptomata ab illis Dysenteriæ multùm distant. Objicitur quoque, remedia antispasmodica in hoc morbo

rarissimè prodesse inveniri. His adjici potest, hanc opinionem sectione non esse confirmatam, sæpe nulla contractione in eorum cadaveribus inventâ, quos hic morbus abstulerit. Alii causam Dysenteriæ proximam ad dispositionem inflammatam attribuunt; et ad hanc opinionem confirmandam, faciem cadaverum inspectorum adducunt. Hæc facies, ut opinor, morbi effectus potius quam causa est existimanda; nam Dysenteria sæpe occurrit, ubi corpus morbis inflammatis minimè obnoxium fuit. Plerumque etiam ægri dysenterici tolerare venæsectionem minùs facilè possunt, quam ii cum aliis morbis inflammatis laborantes.

An ergo impossibile sit, causam hujus morbi proximam, ad quendam intestinorum torporem, et ad secretionem in tunicis internis valdè morbidam, ex causis prædisponentibus ortam, referri debere? Ex torpore oritur fæcum accumulatio; ex hâc accumulatione

contractio intestinorum inæqualis. Secretio morbida motum peristalticum auget; sed tanta est intestinorum debilitas, ut fæces haud ejiciantur; et sic contractiones, omniaque alia morbi symptomata, ingravescere inveniuntur. Denique confitendum est, hanc totam rem in altâ caligine mersam; et de re tam difficili tamque obscurâ, conjecturæ jam satis superque.

METHODUS MEDENDI.

In hoc, ut in aliis morbis, animum advertere ad multas varias res, morbi stadium, naturam epidemici prævalentis, anni tempestatem, ægri ætatem, habitumque, &c. omnino necesse est.

Quies, aër purus, munditics, omnibus locis temporibusque, utilissima sunt. Æger quoque a frigore est semper conservandus.

Morbo violento, summi momenti est remedia celeriter adhiberi, antequam textura viscerum læsa, aut vires multùm debilitatæ fuerint. Morâ enim omnia in pejus ruunt.

Dysenteriâ a multâ pyrexiâ, rigoribus, dolore capitis, aliisque symptomatibus febrilibus incipiente; torminibus stipantibus; ægro interea habitûs plethorici; sanguinem mitti oportet. Hoc remedium, tametsi a nonnullis recentioribus rejectum fuit, Medici antiquiores, ut Galen, Trallian, Heister, quoque Sydenham, Hoffman, Cleghorn, D. Monro, multique alii, comprobavêrunt. A Moseley dictum est, phlebotomiam, ineunte morbo, plerumque esse adhibendam, regulâ Celsi observatâ, "Non quæ ætas sit, sed quæ vires "sint."

Viscera densata atque inflammata, ut cadaveribus inspectis apparent, ejus utilitatem confirmare videntur. Certior factus sum, hoc

remedium, a Medicis nostri exercitûs nunc in Lusitaniâ, feliciter esse adhibitum. Hâc curatione, irritatio, inflammatio quoque, si ulla sit, plerumque imminuuntur; atque in omnibus fere exemplis, multò majus periculum ex inflammatione quam e debilitate metuendum. Tamen si, viribus multis imminutis, nulla inflammationis indicia aderint, venæsectio non solum non necessaria est, sed valdè periculosa. Igitur primò, cautè timidèque est adhibenda; atque si hoc remedium haud profuerit, scarificatione, cucurbitas admovendo, epispasticis fomentisque calidis abdomini applicatis, subleventur ægri dolores.

Sapor in ore ingratus, eructationes acidæ, cardialgia, nausea, morbi principio, usum emeticorum indicant. Doctor J. Home, ea citò largèque esse utenda, suadet; ut, corpore concusso, morbum præciderent. Sunt porro utilia utpote diaphoresin producunt, ingesta perniciosa in ventriculo retenta expel-

lunt, totum systema laxant, et actionem catharticorum multò faciliorem reddunt. Emeticum, in hoc morbo maximis laudibus celebratum, est Ipecacuanha cum Tartrite Antimonii commixta. Intervallo semihoræ horæve, hoc dandum est, donec excitarentur vomitus atque dejectio. Si, morbo progrediente, adsint nausea et ventriculi dolor opprimens, emetica repeti oportet. Diluentia horum operationi favent, sed hæc priùs non sunt adhibenda, quam vomitus sese ostendere inceperit.

Cathartica ab omnibus aliis remediis in Dysenteriâ palmam facilè præripiunt; atque de eorum utilitate omnes uno ore consentiunt. Si, remediis antea dictis adhibitis, ægrum tormina usque urgeant, tunc quærenda òmnimodò alvi evacuatio. Ad hoc efficiendum, die post vomitum, Sydenham mannæ uncias duas, sulphatis sodæ unciam unam, in aquâ plurimâ solutas, dare solebat. Hæc minstra-

bantur, tertio quartove die, usque dum, dejectionibus copiosis excitatis, tormina minuerentur. A Doctore D. Monro, sulphas magnesiæ cum mannâ oleoque dabatur. Oleum Ricini multùm laudatur; sed hic enumerare cathartica omnia, quæ in Dysenteriâ exhiberi possint, haudquaquam necesse est, aliis forsan ad alios ægros melius aptatis. Ea sunt maximè anteponenda, quæ potenter operantia, ægrum minùs cruciant. Regula quoque est semper observanda, ægrotum frigori nunquam esse exponendum; atque idcirco abdomen variis lanulæ plicis obtegendum. Tormina et tenesmus post alvi evacuationes redeuntia, scybala adhuc inesse visceribus indicant. Cum res ita sese habent, cathartica repeti oportet; nam scybalis manentibus, morbus tolli non potest.

In constipatione pertinaci, submurias hydrargyri catharticum valdè efficax habetur;

et regionibus in calidis administrari solet, donec os afficiatur.

Ubi, his remediis, pyrexia, tormina, &c. levata fuerint, opiata ministrare utile est, ut quies concilietur, atque ut vires ægri reficiantur. Omnia autem opiatorum commoda, sine ullis eorum incommodis, Hyosciamo utendo parari possunt. Mistura Diaphoretica cum opiato a Moseley multùm laudatur. Tinctura opii cum vino tartritis antimonii, oxydum antimonii cum phosphate calcis, pulvis Jacobi, &c. utilia sunt, ut diaphoresin sudoremque inducunt.

Per totum morbum, ptysanarium, pulmentum aliique latices acrimoniam fluidorum minuentes, largè dari debentur. Juscula pullina, præcipue circa morbi finem, utilissima sunt. Necnon et utile est, serum vel ut potus, vel, Baglivi judice, ut enema, datum. Huxham, visceribus exoneratis, Dysenteriam aqua

cum opio commixta sæpe feliciter tractavit. Invenitur quoque utilis libra misturæ mimosæ niloticæ cum paucis tincturæ opii guttis, semel in viginti horas exhibita.

Remediis jam dictis diligenter adhibitis, morbus die sexto vel octavo plerumque cessare invenitur. Ut amoveatur debilitatio, si ulla manebit, juscula alentia, usum vini temperatum concedi; atque alvum duram, et super omnia, humorem frigusque vitari, oportet.

Si ex ullâ idiosyncrasiâ, vel, ineunte morbo, ex remediorum idoneorum inopiâ, signa dysenterica longiùs perstent, sequitur Dysenteria, ut vocatur, Chronica. De ejus tractatione, Medici inter se non multùm differunt. Nimirum nihil medico fieri restat, nisi ut symptomata, prout appareant, sublevaret. Hinc a Moseley dicitur, "That un-"less the disease has been managed with

"judgment in the beginning, the patient is "generally indebted for his recovery to the "strength of his constitution, or to some "fortunate change that time, and not me- "dicine, effects in his habit." In hoc morbi stadio, Medicum summâ ope niti decet, ut medicamentis tonicis, vis intestinorum restitueretur; atque ut tormina, opiatis, vestibus mollibus, fomentisque abdomini applicatis, sedarentur. Si, usu horum remediorum, Cleghorn judice, vita ægri per partem hyemis gravis priorem conservari potest, felix morbi eventus est sperandus.

Hydrops hunc morbum nonnunquam sequitur. Ejus curatio, ne fluxus rediret, diaphoreticis diureticisve potius quam catharticis tentanda est. Intermittente febre comitante, cinchonam adhiberi oportet; atque si magna debilitas vel irritatio aderit, decoctiones, tincturæ, infusionesque pulveribus anteponendæ sunt. Typho comitante, eva-

cuationes cautiùs utendæ. Opium, vinum, camphorus, cinchona, &c. secundum morbi violentiam, administrari debentur.

Ægro convalescente, ad victum vestitumque adhibenda est summa attentio. Reditus morbi irritatione parva interdum inducitur. Exercitatio mitis utilis esse sæpissimè invenitur.

FINIS.